



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi  
Servatoris Crisis Historica**

**Chifflet, Jean-Jacques**

**Antverpiae, 1624**

Cap. IV. Ritus sepulturæ Iudaicæ duplex: mortui loti, uncti, inuoluti. Christi funerationi adhibita Sindon, Sudarium, linteamina, institæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

ὅμοια, imagines mortuis qui efferuntur similes, quibus Veneris dolorum, ex morte Adonidis, publicâ mœstitiâ meminissent.

## C A P V T I V.

*Ritus sepulturae Iudaica duplex: mortui loti, uncti, inuoluti: Christi funerationi adhibita sindon, sudarium, linteamina, instituta.*

Genes.  
cap. vlt.

Baronius  
anno 34.  
n. 36.

In Thu-  
rim Iora  
Degha,  
cap. 35 2.

**M**ODVM cadauera curandi apud Iudæos, duplicem inuenio: primum antiquiorem & omnino parem Ægyptio, eorum qui vixerant, aut viuebant adhuc in Ægypto; vt Patriarcha Iacob, cuius corpus iubente filio Ioseph, *aromatibus conditum est, per quadraginta dies, deinde repositum loculo in Ægypto.* Alterum Iudæis Palæstinam incolentibus familiarem, minoris sumptus, & à priori multùm diuersum; ex præcepto Gamalielis Senioris, cuius tam in Sacerdotibus quàm in populo potissima auctoritas erat: is cùm vidisset (referente Rabbi Iacob) excreuisse tantum apud Hebræos impensam funerum, vt eius magnitudine cognati perterriti, relicto cadauere aliquando se subducerent; eius sententiâ (quam vidit à posteris inuiolatè seruata) factum est, vt nonnisi lineis linteaminibus, ijsque non magni pretij, corpora defunctorum

ctorum obuoluerentur; in quo nullam voluit haberi rationem cuiusvis ordinis aut dignitatis, etiamsi regali effulgeret amplitudine; eoque modo seipsum sepeliri mandauit. Clarius ritum explicat idem Rabbi Iacob, ex Rabbi Moyse Ægyptio, vbi docet viros virorum, & feminas feminarum curare consueuiffe cadauera, in hunc modum: oculos imprimis claudere defuncto, & ora stringere fasciâ, tondere capillos, corpus lauare, vnguentis vngere, cadauer delibutum obuoluere linteis; sicque curatum ponere in sepulchro.

Primùm igitur in ritu fuit, oculos defuncto occludere, quod Ouidius *condere*, Virgilius *premere*, Varro *sigillare* dixit; vnaque maxillam inferiorem, (quæ sola mobilis est) ne hiaret, stringere tenui fasciâ ad verticem alligatâ. A beatissimâ Virgine matre id muneris Christo præstitum credimus, quod à matribus olim filiis exhiberi solitum. Polynices ad matrem apud Euripidem:

Συναρμοῖον ἔβλεφαέμεν τῆς ἑστέρας χεεὶ μάτερος.

In Phœniss.

*Iam claude mihi palpebras manu tuâ mater.*

& extant querelæ matris Euriali apud Maronem, quòd filius eâ muneris parte caruisset:

— *nec te tua funera mater*

9. Æneid.

*Produxi, prestite oculos, nec vulnera laui.*

Secunda fuit capillorum incisio: à quâ tamen

C in

in damnatis abstinebant Iudæi, vt notat Baronius, *quòd maledictioni legis obnoxij essent.* ideò capite intonso sepultus est Christus Seruator, quòd à perfidis illis sententiam esset passus.

Tertio loco fiebat corporis lotio, adeò vulgaris apud priscos, vt pigeat eorum verba hîc aduocare. Scripsit Metaphrastes, B. Virginem matrem lacrymis Christi plagas emundasse: quod mihi reuocauit in mentem illa Ennij, in Ctesiphonte, apud Macrobiûm: *Neque terram iniicere, neque cruenta conuestire mihi corpora licuit; neque misera lauere lacryma & salsum sanguinem.* Lotioni corporis Dominici plures fuisse adhibitos, innuit Chrysostomus ex antiquioribus: *Dum peteret eum à Pilato (Ioseph,) & dum lauarent, iam vespera aduentarat.* Sordes pretiosas ac mundas, ex abluto corpore mortui Christi collectas, Balduinum Ierosolymorum Regem ad suos Flandros è Palæstinâ mississe per Abbatem S. Bertini, Lorinus in Commentarijs tradidit.

Lotionem secuta est vnctio, seu conditura; in quâ aliter Ægyptij, aliter Iudæi. Illi corpore enterato, & cerebro per nares extracto, intrinsicus condimenta adhibere soliti; vt est apud Herodotum, qui hoc ipsum appellat *ἄρωμα*. Hi verò, Iudæi inquam, aromata & vnguenta applicabant extrin-

extrinsecus, quod in Sacris litteris dicitur Græcè  
*ἐν ταφιάζειν*, vel *ἀλείφειν*. Vnctionem vulgò rece-  
 ptam indicauerat viuens Christus, cùm Maria ac-  
 ceptâ vnguenti pistici pretiosi librâ, vnxisset pedes  
 eius: *Sinite illam*, dixit, *ut in diem sepulture mee ser-* Ioan. 12.  
*uet illud*. Et ad vngendum eum mortuum, venit  
 primùm *Nicodemus ferens mixturam myrrha &* Ioan. 19.  
*aloës, quasi libras centum*: & iterùm postquam trans-  
 issit sabbatum, Maria Magdalena, & aliæ piæ  
 feminae emerunt aromata, *ut venientes ungerent* Marci 16.  
*illum*.

Quintò, delibutum cadauer inuoluebant lin-  
 teis: quæ pars ritus contineri videtur hoc Eccle-  
 siastici præcepto: *Fili, in mortuum produc lacrymas*, Cap. 38.  
*& quasi diræ passus, incipe plorare, & secundum iudi-*  
*cium contege corpus illius, & non despicias sepultu-*  
*ram illius, & luctum secundum meritum eius*. Illa  
 verba, *secundum iudicium contege corpus*, explico,  
*iuxta morem funebrem obuolue linteis*. Ioannes de  
 Christo: *Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt* Cap. 19.  
*illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Judæis se-*  
*pelire*. Morem indico sigillatim è Sacris scriptori-  
 bus. ita primò Matthæus: *Cùm autem serò factum* Cap. 27.  
*esset, venit quidam homo diues ab Arimathæâ, nomine*  
*Ioseph, qui & discipulus erat IESV; hic accessit ad Pi-*  
*latum, & petiit corpus IESV: tunc Pilatus iussit reddi*  
 C 2 corpus;

corpus, & accepto corpore Ioseph inuoluit illud in SINDONE mundâ, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petrâ, & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti. Sic deinde Marcus:

Cap. 15. Cùm iam serò esset factum (quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathæâ nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus IESV. Pilatus autem mirabatur, si iam obÿisset, & accersito Centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset: & cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph. Ioseph autem mercatus SINDONEM, & deponens eum inuoluit SINDONE, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petrâ, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Tum Lucas hoc modo:

Cap. 23. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus & iustus: hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæâ ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei: hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus IESV, & depositum inuoluit SINDONE, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

SINDONEM, de quâ Matthæus, Marcus, & Lucas, interpretor lintea omnia, quæ ad Christi sepulturam quoquo modo adhibita sunt, siue quæ intra sepulchri septa conclusa fuere; quæ distinctiùs expressit

pressit Ioannes; siue quo cruentum Christi corpus  
 & à cruce recens exceptum est, obiectumque,  
 vt honestè ad pollinctoræ locum deferretur; quod  
 linteum esse Allobrogicam sindonem, infra  
 ostendam; videturque illud primò & præcipuè  
 significari mundâ sindone, quâ depositum Chri-  
 sti corpus inuoluisse Ioseph dicitur à tribus Euan-  
 gelistis. Nunc Ioannem audiamus: *Exijt ergo Pe-* Cap. 20.  
*trus, & ille alius discipulus, (de seipso loquitur*  
*Ioannes) & venerunt ad monumentum: curre-*  
*bant autem duo simul, & ille alius discipulus præcu-*  
*rrit citius Petro, & venit primus ad monumen-*  
*tum: & cum se inclinasset, vidit posita LINTEA-*  
*MINA, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Pe-*  
*trus sequens eum, & introiuit in monumentum,*  
*& vidit LINTEAMINA posita, & SVDARIUM,*  
*quod fuerat super caput eius, non cum linteamini-*  
*bus positum, sed separatim inuolutum in vnum lo-*  
*cum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui vene-*  
*rat primus ad monumentum; & vidit, & credidit.*  
 Ecce sudarium capitis, & alia linteamina, de qui-  
 bus etiam indeterminatè Lucas: *Petrus autem sur-* Cap. 24.  
*gens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit*  
*linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod*  
*fuerat factum. Verbum LIGAVERUNT apud Ioan-*  
 nem, *FASCIAS* indicat, siue *INSTITAS*, quas ex- Cap. 19.

Cap. 11. pressè memorat in funere Lazari: *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies eius sudario erat ligata.* Quia verò addit Ioannes, *ligauerunt linteis;* meritò dubitari potest, num id ipsum sint *instita*, quod *linreamina;* & an in Christi funeratione, præter *institas*, alia adhibita sint *linreamina*, quod puto probabilius, & fauet S. Augustinus: *Neque hic repugnat quidquam rectè intelligentibus, (inquit) nec enim illi (Matthæus, Marcus, & Lucas) qui de Nicodemo tacuerunt, affirmauerunt à solo Joseph Dominum sepultum, quamuis solius commemorationem fecerint: aut quia illi unâ sindone à Joseph inuolutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuisse adferri à Nicodemo, & superaddi; ut verum narraret Ioannes, quòd non vno linteo, sed linteis inuolutus sit: quamuis & propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi vna sindon ibi fuit, verissimè dici potuit, ligauerunt eum linteis: lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* Hæc Augustinus pro linteorum pluralitate: de quâ nos infra plura; vt & de fascijs, sudario, sindone, ac totâ Dominicæ sepulturæ serie & ritu.

Lib. 3. de  
Confess.  
Euang.  
cap. 23.